

II. *Exemplo CHRISTI*, qui ideo resurrexit, ut omnia eius membra pariter resurgerent. 1. Cor. XV, 12.

III. *A spe Christianis propria*, 1. Cor. XV, 19.

IV. *Ab exemplis eorum*, qui cum CHRISTO resurrexere. Matth. XXVII, 52. 53.

V. *A ratione iustitiae diuinae*, quae pati non potest, ut illud corpus, quod in hac vita ob CHRISTVM, e. g. in martyriis, tanta perpeffum est mala, praemia in altera vita non recipiat, nec patiatur, ut corpus, quod per omnem vitam voluptatibus indulfit, DEVMque lingua sua blasphemauit, in altera vita poenam non sentiat.

§. 14. Nec resurgent tantum corpora demortuorum, sed etiam eadem numero resurgent. Probatur

*Corpora eadem nostra resurrectione esse probat.*

I. *Ex clarissima littera*, Iob. XIX, 25. 26. 27. *His oculis meis videbo DEVM, hac cute mea induar.*

II. *Ex manifesta ratione*. Nisi enim idem numero corpus resurgat, non tam est mortuorum hominum resurrectio, quam nouorum hominum creatio.

III. *Ex perpetuo veteris ecclesiae consensu*, quippe quae contra ORIGENEM docuit, eadem corpora resurrectura esse. ORIGENES autem videbatur hoc negasse, quanquam ille potius negauerit carnem, i. e. ut ipse vocem interpretatus est, corpus carnalibus affectibus et naturalibus infirmitatibus obnoxium, resurrecturum esse, cum hominis imo et corporis resurrectionem diserte adstruxerit.

§. 15.